



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**R.P. Fvlvii Androtii, Societatis Iesv, Piæ meditationes de  
Passione & Morte D. N. Iesv Christi**

**Androzzi, Fulvio**

**Coloniæ Agrippinæ, Anno MDCIII**

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48634](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48634)







Th. 2836.


J. III.

37











R. P. FVLVII  
ANDROTII,  
SOCIETATIS  
IESV,

Piæ meditationes de Passione &  
Morte D. N. IESV  
CHRISTI.




COLONIÆ AGRIPPINÆ,  
In Officina Birckmannica, sumptibus  
Arnoldi Mylii.

ANNO dñi. 16c. III.

*Cum Gratia & Privilegio S. Cas. Maiest.*








3  
MEDITATIO-  
NES DE PASSIONE  
ET MORTE CHRISTI  
DOMINI NO-  
STRI.

*Quàm utilis & necessaria sit frequens  
meditatio Passionis & mortis Christi  
Domini nostri.*

CAPVT I.

 Votidiana & frequens confi-  
deratio, ac meditatio vitæ &  
passionis Christi Domini no-  
stri, multis de causis valdè ne-  
cessaria est homini Christiano.

Primò, qui in hac vita mortali Deum  
cognoscere non possumus, nisi ex operi-  
bus suis; quæ quo maiora & excellentiora  
sunt, hoc magis cognitionem Dei in no-  
bis gignunt. Certum autè est ex omnibus  
Dei operibus nullum excellentius esse  
Incarnatione verbi æterni. Quare & il-  
lud imprimis sapientiam, bonitatem, be-  
nignitatem, misericordiam, charitatem,  
prouidentiam, aliasque Dei perfectiones  
declarat. Estque scala quam vidit Patriar-  
cha

A 2 cha



## 4 ANDROTHI

cha Iacob, per quam ascendebant, & descendebant angeli. Nam per hanc viam ascendunt homines spirituales ad cognitionem Dei, & descendunt ad cognitionem sui.

Secundò, quia utilis est omni hominum generi & conditioni. Est enim Arbor vitæ, quæ stat in medio Paradisi Ecclesiæ sanctæ; in qua sunt rami, alij sublimes, alij depressi, sublimes pro magnis, qui contemplantur perfectiones diuinas; depressi pro paruis, qui contemplantur Christi dolores, & turpitudinem suorum peccatorum, vt ea deplorent & detestentur.

Tertio, qui verus Christianus, semper debet ambulare cum Christo, & sequi Angelum quocumque vadit. Quod facit, quando nunquam se separat ab illo, quando semper in conspectu eum habet, dum meditatur de vitæ eius sanctæ mysterijs. Quod certè pijs & bonis aliud non est, quàm effusum suauissimum balsamum, omni tempore & loco expirans odorem sanctæ humilitatis, charitatis, deuotionis, compassionis, omniumque virtutum. Itaque, sicut qui ex officio semper manibus tractat res odoriferas, odore afficit, quæcunque attigerit; sic qui sæpe agit cum Christo, odorem Christi de se red-



## DE PASS. DOMINI.

reddit, hoc est, imitatur Christum in humilitate, charitate, obedientia, patientia, alijsque virtutibus.

Quartò, quia impossibile est imitari virtutes Christi, si prius non consideraerimus eius vitam. Nam, quemadmodum possibile non est, Pictorem quantumvis excellentem, elegantem fingere imaginem, nisi sæpe oculos conuertat in exemplar; sic possibile non est, vt homo Christianus sit imago virtutum Christi, nisi sæpe ob oculos habeat vitam Christi. Vnde Deus dixit Moyli Exod. 15. *Inspice & fac secundum exemplar, quod tibi in monte monstratum est; id quod dicit & nobis; mons enim est sublimitas perfectiõnis, ad quam tendere debet omnis Christianus. De quo Christus Matth. 5. Estote perfecti, sicut & pater vester cœlestis perfectus est. & Ioan. 13. Exemplum vobis dedi, vt quemadmodum ego feci, ita & vos faciatis.*

Quintò, quia, vt dicit B. Augustinus, Deus hoc nomen Christiani, quod derivatur à Christo, idcirco nobis imposuit, vt perpetuam eius memoriam in animo retineremus, excitaremusque nos frequenter ad recolenda ea, quæ fecisset, dixisset, & passus esset pro nobis. Et sicut nobis charissimos, eorum nominibus appellare



## 6      A N D R O T I I

solemus, qui nos magno aliquo beneficio affecerunt, si vero eorum obliuiscamur, reprehensione digni sumus, quā ingratus erit Christianus ille, qui raro recodatur Christi, cū tamen Christus nunquam obliuiscatur nostri, proque memoria nostri reseruauit tot cicatrices in corpore. Adhæc, si primum ac nati sumus, nostri tam dulcem & salutiferam habuit memoriam, & tam recentem continenter eandem retinet in coelo, cur, quæso, non debeamus & nos semper meminisse infinite bonitatis eius? cur non semper meditari, semper ruminare, semper contemplari vitam eius dolorum plenissimam, & amarissimam passionem?

Sextò, quia, sicut in primitiua Ecclesia primi Christiani, tot tantarumque virtutum pleni erant, contemptores mundi, parati ad sanguinem effundendum pro Christo, quòd semper ob oculos haberent vitam Christi; ita nos, quia eiusdem obliuiscimur, vacuos nos omnibus veris & solidis virtutibus inuenimus, affixi & addicti mundo, parumque parati ad perferenda etiam minima pro Christo. Vnde legimus Dominum cum explicare vellet Hieremias Prophetæ causam ruinæ mundi.



DE PASS. DOMINI. 7

di, dixisse: *Omnis terra desolata est, quia non est, qui corde recogitet, quæ ad salutem pertinent.* Possumus quoque dicere & nos, tantam Christianæ Reipublicæ ruinam non aliunde provenire, quàm quia non est qui cogitet, aut recogitet vitam & mortem Christi Salvatoris & Redemptoris nostri. Quare, sicut fieri non potest, ut facultatem benè scribendi consequatur, qui non oculos conijcit in exemplar scriptoris; sic fieri non potest, ut verè simus sancti & boni, nisi continuò oculos conijciamus in vitam Christi omnibus virtutibus refertam. Vnde Matthæi capite undecimo: *Discite à me, inquit, esse humiles corde, & requiem inuenietis animabus vestris.* Atque si diceret: *Vultis semper sentire pacem, quietem, & consolationem? Sitis humiles corde. Vultis esse humiles corde? Discite à me. Vultis discere à me? cogitate & recogitate vitam meam, quam inuenietis humilitate sancta stipatam.* Idem dicebat Sanctus Paulus ad Philippenses secundo: *Fratres, hoc sentite in vobis, quod est in Christo Iesu, qui cum in forma Dei esset, semetipsum exinanivit formam serui accipiens, humilians se usq; ad mortem crucis.* Quibus verbis indicat, cum qui volet esse humilis, sicut

A 4.

fuis.



8                    **ANDROTII**

fuit Christus, debere contemplari vitam Christi.

Septimò, quia Ioan. 14. Christus dixit: *Ego sum via, veritas, & vita*, quomodo autem ambulabit in via, qui nunquam eam intuetur? quomodo discet veritatem, qui nunquam audit magistrum veritatis? quomodo habebit vitam, qui nunquam recordatur auctoris vitæ? Et sicut ille voluit assumere humanam nostram naturam, & cum homine tam familiariter conuersari, vt conspectu conuersationeque eius traheretur in Christi, virtutumque eius, quas hominem docere voluit, amorem; sic voluit pro nobis scribi vitam suam, vt crebra meditatione, & consideratione illius magis in amorem Christi, sanctarumque virtutum & bonorum eius morum raperemur.

Deinde si tan opere querebatur de discipulis suis dicendo Ioann. 16. *Tanto tempore vobiscum sum, & non me cognovistis*. quantum queri poterit de nobis, & queretur in die iudicij, quod tot annis tam exiguam habuerimus cognitionem ipsius? Vnde enim accidit, vt tam simus impatientes, tam citò in tribulationibus desperemus, nisi quia non consideramus vitam Christi? Propterea Sanctus Paulus scribit Hebr. 12. *Recogitate*

*eum*



DE PASS. DOMINI. 9

*eum, qui talem sustinuit à peccatoribus  
aduersus semetipsum contradictionem, ut  
ne fatigemini animis vestris deficientes. Et  
S. Petrus 1. Pet. 2. dicit: Christus passus est  
pro nobis, vobis relinquens exemplum ut  
sequamini vestigia eius. Verum quomo-  
do poterimus sequi vestigia eius, si  
nunquam ea videmus? Cur sumus  
tanti amatores nostri ipsorum, volu-  
ptatum, deliciarum, & honorum huius  
saeculi, nisi quia neque frequenter, ne-  
que serio cogitamus de vita Christi, qui  
hæc omnia contempsit? quomodo ab-  
negabimus propriam voluntatem, tolle-  
mus crucem nostram, sequemur Chri-  
stum, si memores non sumus Christi?  
Ait S. Ioannes 1. Ioan. 2. Qui dicit se in  
Christo manere, debet, sicut ille ambula-  
uit, & ipse ambulare; quomodo verò id  
faciet, qui nunquam considerat vitam  
Christi? Sanctus quoque Paulus Ephes.  
5. monet, ut simus imitatores Christi, in-  
duendo & armando nos virtutib. Chri-  
sti, at quomodo id consequemur, si  
nullam habemus memoriam Christi?  
Quare fit, ut, auctore eodem Apostolo  
Philippens. 3. Multi sunt inimici crucis  
Christi qui tantum terrena sapiunt obli-  
ti omninò & vsquequaque crucis Chri-  
sti.*

A 5.

Octa.



Octauò, quàm vtile, iucundum, & necessarium sit, semper habere memoriam Christi Domini nostri, cognoscitur ex dicto Sponsi in Canticis: *Fasciculus myrrha dilectus meus mihi: inter vbera mea commorabitur*, quid est hic fasciculus, nisi vita odorifera Christi dilecti nostri, qui animam ab omni putredine peccati conseruat? Qui debet inter vbera nostra commorari, & in pectore, hoc est, in nostra memoria portari. Et quare Iesus Christus Dominus noster se vocat fratrem, sponsum, socium, amicum, pastorem, medicum, aduocatum, protectorem, redemptorem & vitam nostram, nisi vt eius recordemur tanquam chari amici, fratris, socij & sponsi? Quare verò voluit verè & realiter præsens existere in sanctissimo Sacramento, nisi vt recentem eius memoriam semper retineamus? Vnde in institutione huius Sacramenti dixit, *Hoc quotiescunq; feceritis, facite in meam commemorationem*. Et quid esse potest iucundius, quàm sæpenumero meminisse, sic Deum dilexisse nos, vt filium suum vnigenitum vellet fieri hominem, qui cum homine conuersaretur, & moreretur pro homine?

Nonò, quia regula est probata à multis, vitam Christi, eiusque mysteria multum.



DE PASS. DOMINI. 11

cum prodesse hominibus adultis, si ea sibi cum fide viua, piaque memoria & gratitudine applicent; nam nec medicina, vel herba, quamuis magnæ virtutis, prodest infirmo, nisi applicetur. Dum autem applicamus nobis cum viua fide, sanctisque cogitationibus vitam & passionem, facimus nos quoque participes meritorum vitæ & mortis Christi. Est igitur memoria vitæ & mortis Christi quædam radix ad recipiendum merita Christi: & quo diuturnior & efficacior est memoria, tanto plus de meritis & virtutibus Christi participamus.

Quare deberet homo deuotus & pius, omnia sua opera præcatis, vt sunt bona desideria, orationes, ieiunia, vigiliae, & opera naturæ, vt comedere, bibere, dormire, laborare, pati, aliaque omnia coniungere operibus Christi, eaque sic coniuncta & vnita offerre Deo, cui erunt gratissima, perinde ac suffimentum diuersorum odorum simul accensorum. Hæc memoria & vnio tam grata est Deo, vt orationes aliaque bona opera ei oblata, cum huiusmodi vnione incomparabiliter magis accepta & grata Diuinæ sint Maiestati, quàm ea, quæ oblata sunt sine tali vnione. Nā opera nostra:



coniuncta operibus Christi, non minus nobilitantur, quàm æris ramentum liquefactum cum auro, quod obvilatatem suam in aurum conuertitur. Et sicut hederæ per se ascendere non potest, innixa autem arbori potest ascendere, quantum arbor; Sic & humilitas operum nostrorum innixa arbori vitæ Christi. At sicut guttula aquæ ex se non est nisi aqua, iniecta autem in magnum vas vini, naturam accipit magis nobilem, & fit vinum; sic opera nostra, quæ ex se sunt exigui valoris coniuncta operibus Christi, ob gratiam, quàm à Christo accipiunt, fiunt pretij incomparabilis.

Quapropter valdè conueniens est, vt quemadmodum homo dicitur Christianus à Christo, sic in omnibus actionibus suis, verbis, cogitationibus studeat imitari Christum, & eo modo loquatur, agat, comedat, oret, aliâque omnia faciat, quo potest cogitare, fecisse Christum ipsum.

*Que*



DE PASS. DOMINI 13

*Quæ causa sit, quod Christiani tam par-  
rùm meminerint Christi, de  
eoq; cogitent.*

CAPVT II.

**I**D præcipuè prouenit ex paruo nostro amore erga Christū, dicit enim Christus, *Vbi est thesaurus tuus* (nempe res quas amas) *ibi est & cor tuum*, id est, omnes cogitationes tuæ. Natura enim veri amoris est, transformare amantem in rem amatam. Vnde scribit S. Augu. Animam magis esse vbi amat, quàm vbi anima, & idèò meritò dixit Dalila ad Samsonem Iud. 16. *Quomodo dicis, quod amas me cum animus tuus non sit mecum*: quasi diceret: Sampson, tu conaris mihi persuadere, quod me plus ames, quàm alias omnes mulieres, at quomodo id verum esse potest, cum nec cogites de me, nec mei recorderis, nec mihi quoque fidās, signumq; veri amatoris sit, velle se facere vnum & idem cum eo, quod amatū? Quare qui amat omnes animi sui potentias, vt memoriā, intellectum, voluntatem, imaginationem, cæteraq; omnia fixa habet in re amata, sic vt amor, vt loquitur B. Dionysius Areopagita, sit quædam alienatio à seipso, cuius causa est,  
A. 7. quod



quod homo totus sit transformatus in rem amatam. Et quemadmodum homo captus & raptus amore vano & lasciuo (qualis dicitur fuisse Amon cum sorore sua Tamar 4. Reg. 21.) nec comedit, nec bibit, nec dormit, nec quiescit, sed manet semper in cogitatione sua defixus (Vulnus enim afflictionis internæ non finit eum quiescere, nec cogitationem aliò transferre, nec timere vllum periculum) sic amor Dei, qui ex nobiliori principio procedit, & in sublimiorem finem tendit, non cogitat, non curat, non desiderat, non quærit aliud quàm Deum; omnesque tribulationes & difficultates pro hoc suo amore contemnit. Manifestum ergo est ex paruo amore Christi proficisci, quod parum cogitemus de Christo,

Et si quis quæreret, vnde tam exiguus amor in Christianis originem habeat? posset ei responderi, causam fortè esse quã affert Christus in Euangelio Ioan. 11 quod *lux in mundum venerit, & magis homines amauerint tenebras, quàm lucem.* Et nemo, vt dicit Matt. *possit seruire duob. dominis contrarijs, Deo & mundo, spiritui & carni, rebus cœlestibus & terrenis.* Posset quoque responderi, quod in re simili benè respondit Iaulerus,  
Vnde.



DE PASS. DOMINI 25

Vnde nimirum proueniat, cum Deus sit in nobis, magisque nobis vicinus, quam nos ipsi, quod eum non aduertimus esse presentem? Et rationem reddit in hunc modum.

Quare gratia Dei non operatur in nobis?

Quia non desideramus eam ex toto corde.

Et cur non desideramus eam ex toto corde?

Quia non amamus eam ex toto corde.

Et quare non amamus eam ex toto corde?

Quia non cognoscimus eam.

Et quare eam non cognoscimus?

Quia non cognoscimus nos ipsos.

Et quare non cognoscimus nos ipsos?

Quia sumus negligentes in consideranda vita nostra.

Et quare non consideramus vitam nostram?

Quia oculus intellectus nostri est excæcatus.

Et quare oculus nostri intellectus est excæcatus?

Quia plenus est puluere & luto, hoc est, amore & voluptate inordinata erga mundum, carnem, & nos ipsos. Ecce tibi causam valde manifestam.

Quare & Dominus noster dixit Ioan. 15.

Quis



*Qui venit ad me, & non odit Patrem, matrem, uxorem, filios, fratres, sorores & seipsum, non potest esse meus discipulus, ut ostenderet, neminem posse seriò amare Deum, & cogitare de Deo, nisi se auellat ab omni amore inordinato, tum sui ipsius, tum omnium rerum creatarum. Nam, ut parum pulueris sufficit, ut non possimus oculis intueri cœlum, sic parum amoris inordinati sufficit, ut non possimus sapere, quæ Dei sunt. Vnde dicebat Christus Lucae 14. Qui non renunciat omnibus quæ possidet (id est, amoribus inordinatis) non potest meus esse discipulus.*

DOCUMENTA QUÆDAM  
ad meditandum cum fructu de passione  
D. N. Iesu Christi.

## CAPVT III.

## DOCUMENTVM I.

**D**onum orandi & maximè meditando beneficium redemptionis humani generis, est donum Dei. Conuenit ergo ut illud desideremus, & ex toto corde perseueranter petamus, cum scriptum sit, *Petite & accipietis. Lucae 13.*

DO-



## DOCUMENTVM II.

**O**Raturus ante omnia debet esse valdè humilis. Quomodo enim corde superbo poterimus meditari de vita & passione eius, qui cum esset Deus, factus est homo, docuitque humilitatem verbo, opere, & exemplo, nascendo, viuendo & moriendo: Hæc mysteria cognosci non possunt sine lumine supernaturali, quod non datur nisi humilibus. Vnde dixit Christus in Euan-*Matth. 11.*  
gelio: Deum hæc abscondisse à sapientibus huius mundi, & reuelasse ea paru-  
lis & humilibus. Ob defectum autem  
humilitatis tam pauci gustum capiunt  
ex his mysterijs.

## DOCUMENTVM III.

**N**Ecessè quoque est habere consci-  
entiam mundam à peccatis. Nam  
quomodo cum peccato poterit  
meditari mortem & passionem Christi,  
is qui scire debet Christum mortuum  
esse ad occidendum peccatum? Quare,  
valdè vtile est, ante meditationem horum  
S. Mysteriorum petere à Deo veniam om-  
nium peccatorum, & firmiter propo-  
nere, nos potius morituros, quàm vn-  
quam amplius diuinam Maiestatem of-  
fensuros.

DO-



## DOCUMENTVM IIII

**M**agnum, autem impedimētum est, nimius amor, nimiaque sollicitudo negotiorum sæculariū, quæ etsi videantur parua, tamen impediunt visionem Dei, perinde atq; paruula tabella apposita oculis impedit aspectū cœli. Qui verò cum huiusmodi cogitationibus orationem instituit, similis est ei, qui comedit allium, vt agat cum Principe. Vnde meritò Christus Dominus noster toties orabat in monte.

## DOCUMENTVM V.

**C**onueniens excitemus nos in oratione mentali; nam precari ore, & mente vagari parum vtile est. Si milisq; est talis orator, qui omni carne Caponis comesta, scutellam plenam ossibus mitteret ad aliquem Dominum, Quare Christus dixit in Euangelio: Dominum Deum debere adorari in spiritu & veritate, Ioan. 4.

## DOCUMENTVM VI.

**C**VM verò oratio mentalis sit res valdè laboriosa (multi enim inveniuntur addicti operibus misericordiæ, varijsq; mortificationibus, sed pau-



DE PASS. DOMINI. 19

pauci oratores mentales). opus est magna patientia, magna fortitudine animi, magna fiducia in Deo, & perseverantia, nam cum auxilio diuino, dum facimus quod in nobis est, omnia obtinentur. Et cum hoc sit thesaurus quidam inestimabilis, omnibus viribus contendere potius omnia vendere, quàm hoc thesauro non frui.

DOCUMENTVM VII.

**V**Tile est cognoscere impedimenta orationis mentalis, eaque sæpe perpendere, vt caueantur: Et sunt hæc sequentia:

1. Parui facere peccata venialia, quæ præter alia hominem <sup>quæ</sup>uant perfectæ puritate mentis.
2. Nimijs cruciatus & inquietudo conscientie propter peccata venialia.
3. Scrupuli <sup>superflui</sup>, qui mentem semper perturbant.
4. Amaritudo vel tædium cordis, nunc propter iram, nunc propter rancorem. Est enim cor quasi vas fellis, quod prius debet euacuari, quàm impleatur melle.
5. Consolationes sensuales; multi enim volunt frui Deo, sed nolunt carere delitijs mundi. Et consolationes

nece



*Matt 5.*

nes spirituales ijs communicantur, qui amore Dei sunt afflicti, non autem ijs qui in hoc mūdo consolantur, & exhilarantur. Vnde dicit Euangelium: *Beati qui lugent quia consolabuntur.*

6. Inordinata cura rerum & necessitatum temporalium. Cui medebimur, si primò omnem affectum inordinatum erga creaturas exuamus. Noli amare, & non eris afflictus. Deinde si omnes curas in sinum Dei cum certa fiducia conijciamus. Nam cum tu feceris, quod est in te, curæ tuæ bono loco erunt: quandoquidem ipse mandat, vt ita in omnibus negotijs nostris faciamus, hoc est, vt prima cura nostra sit cogitare de Deo, ei que semper seruire.

7. Nimia sollicitudo & mollities in curando proprio corpore.

8. Vitium curiositatis in explorandis aliorum factis.

9. Sinè causa legitima interrumpere orationem; Continuatio enim, etsi parua sit, magnum fructum affert.

10. Deliciæ, & cibus immoderatus, quæ impediunt eleuationem mentis.

11. Abstinentia immodica & praua affectio corporis.

12. Nimia affectio ad creaturam, vel aliam quamlibet rem. Nam quod plus æquo



æquo amatur, semper mente cogitatur.  
*Vbi est Thesaurus noster, ibi est & cor nostrum.* Mat. 6.

DOCUMENTVM VIII.

**C**Ognoscenda quoq; sunt ad iumentum quædam, quæ prodesse possunt ad rectè instituendam orationem mentalem. Sunt autem hæc sequentia.

Primum est, magnum desiderium faciendæ orationis mentalis. Amor enim finis & mouet ad operandum, & facit vt labor non sentiatur. Deberet autem desiderari, perinde ac famelicus panem, & avarus thesaurum desiderat.

2. Fortitudo & diligentia in superandis impedimentis & difficultatibus illius exercitij.

3. Custodia cordis, quod est principale instrumentum huius Musicae; quod si perperam aptatum erit, mala consequetur harmonia. Custodiri debet cor à duabus rebus. A vanis cogitationibus, & affectionibus inordinatis.

4. Continua memoria Dei, & habere eum præsentem semper tanquã vitæ nostræ testem, inueniendo eum in omni re & loco.

5. Sæpe vsurpare orationes breues & iaculatorias, quæ ex corde instar sagittarum

rum



rum amore ardentium ad Deum eijcitur, & conseruant calorem deuotionis.

6. Lectio libraru piouum. Cor enim nostrum est instar molendini, quod molitur & conteritur, quod ei impositum est.

7. Custodia sensuum, qui sunt quasi portæ ciuitatis cordis. Et ante omnes Lingua, quæ omnem deuotionem à corde exsugit.

8. Sollicitudo corporis & cordis, quæ mater est orationis, sicut pater est silentium.

9. Perseuerantia & constantia in oratione.

10. Asperitas corporis, ut ieiunia, disciplina, lectus durus, & alia similia, quæ sunt deuotionis scelera.

11. Vacare operibus misericordie, quæ augent feruorem deuotionis.

12. Tempus, locus, compositio corporis & alia similia. Tempus sit matutinum. Iuuat non parùm præparare se uespere ad orationem matutinam, & si nocte excitemur, leuare breui oratione mentem ad Deum, ut dicendo; Gloria patri, &c. Mane uerò ante omnia Dei meminisse. Locum conuenit esse obscurum & solitarium. Compositio corporis sit uel prostrati, uel stantis, uel sedentis, quando genua flecti non possunt.



**N**Otitiā præterea opus est habere  
tentationum cum oratione pu-  
gnantium, & sunt hæ:

Prima est, cum nullam sentimus de-  
uotionem sensibilem, aut cōsolationem  
spiritualem, vt videamur quasi à Deo  
derelicti. Verum conuenit, vt nunc nos  
Deo totos committamus, ab eo que con-  
solationem expectemus, perseuerando  
cum Cananæa, quæ tandem mirabiliter  
fuit consolata.

2. Cogitationes turpes, vt orationem  
abrumparamus. Quod nunquam fieri de-  
beret. Sed nec contristari debemus, si cul-  
pa nostra res non succedat. Imò tunc ma-  
ximè orationi instādum est, exemplo cæ-  
ci, qui quò plus à turbis impediabatur  
Luc. 18. hoc magis clamabat. Et Apostoli  
magis inelamabant Christum, quo plus  
augebatur tempestas maris Marc. 16. Et  
plus lucraberis in hac pugna, quàm si af-  
flueres consolationibus diuinis.

3. Timere tempore orationis, propter  
solitudinē, maximè noctu. Remediū est,  
primò, credere Dæmonem non posse vel  
vnum pilum tuum attingere sine volun-  
tate Dei, si enim tibi nocere possit, sem p  
& vbiq; noceret. Secundò, cogitare adesse  
tibi



tibi angelum cūstodem & auxilia omnium angelorum, dum oras. Tertiò stare te in conspectu Dei, totiusque cœlestis curiæ.

4. Somnolentia, nam si ea oriatur ex pigritia, bonum remedium est disciplina, aliãue pœnitentia, adiuncta postulatione diuini auxili;

5. Diffidentia vel desperatio, cū videmus nos multo tempore parum profecisse. At scire oportet sæpe Deum post multos annos tandem dona sua communicare, eoque maiora, quò longius differt.

6. Præsumptio, cū putamus nos peruenisse ad perfectionem; cū tamen hoc ipsum argumento nobis esse debeat, quod longè absumus à perfectione.

7. Inordinatus amor rei alicuius sensualis.

8. Zelus indiscretus iuuãdi alios, cū sic debeamus incumbere aliorum curæ salutis, vt nos ipsos non negligamus, nec cogamur omittere orationem.

#### DOCUMENTVM X.

Sciendum etiam est, orationem non esse finem nostrum, sed medium ad finem, qui in tribus rebus consistit, nempe in amore Dei, in obedientia vera, quæ



DE PASS. DOMINI. 25

quæ ex amore nascitur (amor enim otiosus esse non potest) & in mortificatione propriæ voluntatis; quæ necessaria est in obedientia; neque enim inferi nobis potest voluntas Dei, nisi prius abscindamus voluntatem nostram. Et hæc est crux, quam Christus nobis commendat, ut post se portemus. Quæ cum sit dura & amara, necessariò temperari debet dulcedine orationis. Oratio ergò medium est huius finis, non finis; medicina ad salutem, non salus ipsa.

Quare vehementer se decipit, qui dum crebris gaudet orationibus, nunquam cogitat aut vincere seipsum, aut crescere in mortificandò studio. Is quoque se decipit, qui in oratione aliud non quærit, quam consolationes, quo fit ut negligat opera charitatis, quæ fiunt cum labore corporis. Et is, qui dum multum sudat in procuranda salute proximi, manet tamen plenus affectibus pravis iræ, inobedientiæ & gulæ. Et is quoque, qui dum pro toto mundo nollet certas quasdam devotiones negligere, manet tamen semper plenus sensualitate, cholera, respectibus humanis, vacuus verò humilitate, charitate, alijsq; virtutibus. Multò autem amplius se decipit, qui ex se metitur alios, & dum putat se meliorem, cõtemnit alios.

B

Pr-



Primus ergo oculus dirigatur ad mortificationem, & acquisitionem virtutum, secundus verò ad considerationem orationis, hæc enim non iuuat sine mortificatione, & ista non placet sine oratione.

## DOCUMENTVM XI.

**C**Vm magna consolatione perfunderis in oratione, cogita te prouocari ad maiorem pugnam. Quare debes te præparare ad certandum viriliter, & ad bibendum calicē alacriter, quem Deus tibi propinabit.

## DOCUMENTVM XII.

**E**Xpetendæ non sunt reuelationes, visiones, extases, & alia que similia, ne detur locus illusionibus dæmonis.

## DOCUMENTVM XIII.

**N**on debent manifestari omnibus beneficia & charismata, quibus Deus aliquando nos dignatur in oratione, sed debent secreta seruari, & in præsentia aliorum dissimulari, propter periculum vanæ gloriæ. Res enim odoriferæ, quò secretius habentur, hoc melius conseruantur. Ac proinde bonum est in præsentia aliorum abstinere à gemitibus, suspirijs, & singultibus.

DO-



DE PASS. DOMINI. 27

DOCUMENTVM XIV.

**P**ropter autem beneficia huiusmodi magna, quæ à Deo inter orandum recipimus magno cum timore & reuerentia ante ipsum sistere nos debemus, considerando bonitatem eius, qui cum tam vili creatura delectatur conuersari. Vnde nascitur amor Dei, & abiectio sui in nouissimum locum:

DOCUMENTVM XV.

**B**onum & utile est statis quibusdam temporibus, vt in magnis festis, studiosius se dedere orationi, & quasi se exsaturare.

DOCUMENTVM XVI.

**I**n exercitijs orationis & mortificationis discretione opus est, ne tendatur ad extrema. Et idcirco bonum est reddere rationem Confessario.

DOCUMENTVM XVII.

**M**ulti dum cogitant satis esse vacare orationi, negligunt alias virtutes; Verum omnes virtutes sunt connexæ. Frustrà ergo laborat in vna, qui negligit reliquas.

DOCUMENTVM XVIII.

**Q**uamuis multæ dentur regulæ ad bene orandum, id tamen ex parte nostra præcipuè requiritur, vt nec nobis nec



exercitijs nostris fidamus, sed omnem fiduciam collochemus in Deo.

DOCUMENTVM XIX.

**N**emo ad vnum meditandi genus obligatus est; illud autem semper vsurpare poterit, in quo maiorem experitur deuotionem, consolationem, & profectum.

DOCUMENTVM XX.

**S**i tibi videntur nimis multa requiri ad deuotionem, cogita Deum liberaliter recompensare laborem, quem pro ea acquirenda impendis. Si enim in ea perseueraueris, maiore te consolatione afficiet, quàm omnes voluptates huius mundi.

FRUCTVS MEDITATIONIS  
*de passione D. N. Iesu Christi.*

**S**cribit S. Bonauentura, non posse Deo offerri gratius sacrificium pro mortuis, efficacius remedium angelis, maius gaudiũ Sacrosanctissimæ Trinitati, excellentius signum reuerentiæ & gratitudinis, quàm semper occupare se in contemplanda passione Christi. Vnde Dominus noster quadam vice cum cruce



re comparuit euidam Eremitę, qui cupiebat cognoscere, quę sacrificia Deo essent gratissima, & dixit, nullum sibi posse fieri maius seruitium, quā si crucem & passionem suam semper gestaret in corde, nam memoria passionis efficit in nobis hæc sequentia.

Primò, Compunctiōnem de peccatis, & ideò in passione Christi fixę sunt petre. Matth 27.

2. Mouet ad faciendam confessionem, & ideò aperta sunt monumenta.

3. Inducit ad satisfactionem, cū videmus Christum tanta passum.

4. Purgat mentem à vitijs, sicut serpens æreus sanabat à moribus viuorum serpentum.

5. Plurimum illustrat intellectum in cognitione sui & Dei.

6. Attollit spem & fiduciam. Vnde dicit S. August. Domine desperare non possum, dum cerno te in cruce pro me occisum.

7. Inflammat charitatem. Vnde dixit S. Bernardus, super omnia te facis amabilem, ò bone Iesu; Calice quem bibisti, & opere nostrę redemptionis.

8. Augmentum virtutum & meritorum, si modò applicata sit meditatio de passione, sicut antè dictum est. Vnde Al-



bertus Magnus asserit, deuotam & ardē-  
tem meditationē passionis Christi, plus  
esse meritoriam, quā sit flagellatio, si-  
ne ipsa, vsque ad sanguinem.

9. Dat gratiam & fortitudinem in per-  
ferendis afflictionibus. Vnde August. di-  
cebat: In omnibus suis tribulationibus  
se non inuenisse remediū efficacius vul-  
neribus Christi, in quibus securē dor-  
miebat, & sine timore quiescebat.

10. Efficacissima est contra omnes tē-  
tationes. Vnde B. Bernardus: Quando,  
inquit, me tangit turpis aliqua tentatio,  
recurso ad vulnera Christi. Quando caro  
me stimulat, crucis memoria repugno.  
Quando dæmon insidiatur, refugio ad  
Christi vulnera, & mox fugit à me. Quā-  
do ardor libidinis commouet mea mem-  
bra, recordatione vulnerū Domini mei  
subitò extinguitur.

11. Confortat sub onere graui. Vnde  
dicebat S. Greg. Nihil tā graue est, quod  
non libenter toleretur, cum memoria  
passionis Christi præfigurata est in ligno  
quo aqua amara cōuersa est in dulcem.

12. Inflammat ad pugnandum forti-  
ter, instar elephantum, qui animosiores  
redduntur ad pugnam cōspecto proprio  
sanguine. Et ideo in primitiua Ecclesia  
tot erant Martyres.



DE PASS. DOMINI. 37

13. Viuificat animum fidelis: Vnde ait S. Bern. O fortitudinem absconditam in morte Christi, quæ vitam dat omnibus mortuis.

14. Replet mentem dulcedine, cum sit quasi fauam mellis.

15. Accendit ad laudandū Deum. Vnde filij Israel cum trāsissent mare rubrū, sua uiter cantare cœperunt.

16. Facit nos mereri gloriam. Vnde quous plus recordatur cum charitatis affectu passionis Domini, hoc maiorem gloriam obtinebit in cœlo; ut dicit S. Thomas: Quare legitur de quodam sancto, eum apparuisse habentem in pectore adamantem preciosum, eò quod sæpe meditatus fuisset de passione Christi.

17. Liberat ex purgatorio, tum ipsum, qui recolit passionem, tum alios, pro quibus quasi sacrificiū offertur. Efficit quoque ne ad purgatorium veniamus, si passionem rectè applicemus.

18. Incitat mirabiliter ad omnes virtutes, nam cum in potestate eius esset mori vel non mori, tamen precatur patrem cælestem tanto feruore. O raram humilitatem: captus ab hominibus armatis, reprehendit Petrum pro sua defensione gladium euaginantem, O singularem constantiam.



Vulneratus est Malchus, ille autem sanat  
eius auriculam. O charitatem.

Permittit se osculari à iuda traditore, quē  
sciebat talem esse. O patientiam.

Data illi alapæ, & admonuit suum per-  
cussorem. O bonitatem.

Falsò accusatur & tacet. O prudentiam.

Adiuratur per Deum vivum & respon-  
det. O religionem.

Condēnatus est ad crucem, & sententiæ  
iniquæ se subiecit. O quæ obediētia?

Præ siti mortuus, & tamen noluit bibe-  
re. O quæ abstinentia?

Cōmendat charissimam suam matrem  
S Ioanni. Ioan. 19. O quæ pietas?

Maledictus est & benedixit. O quæ  
magnanimitas?

Latroni dat paradisum. Luc. 17. O quæ  
munificentia?

Magna voce emittit Spiritum, magnam  
animam, vt significasset se mori volū-  
tariè. Ioan. 19. O quæ fortitudo he-  
roica & plus quàm heroica.

Tota vita Christi fuit institutio quædam  
morum, sed & mors sola fuit quasi flos  
omnium virtutum, & exemplar omnis  
perfectionis: Vnde dixit S. Paulus I. Cor.

*2. non iudicavi me aliquid scire inter  
vos, nisi Iesum Christum, &  
hunc crucifixum.*

Quan.



*Quantum obstricti simus Deo ob benefi-  
cium mortis & passionis D. N.  
Iesu Christi.*

## CAPVT V.

**S**icut nulla res est, quæ magis pertine-  
at ad salutem nostram, quàm passio  
Christi, nec vllum beneficium, pro  
quo magis debeamus agere gratias Deo,  
vel de quo magis possimus gloriari, vel  
ex quo maiorem percipere possimus cō-  
solationem: Sic nihil est, de quo crebrius  
debeamus cogitare, audire, loqui, & re-  
cordari, quàm de hac sancta passione.  
Pro qua maiores debemus gratias Deo,  
quàm pro nostra Creatione, multis de  
causis.

Prima, nam si homo ideò maximè ob-  
ligatus est Deo, quod de nihilo vno ver-  
bo ab eo sit creatus, multò magis eidem  
obligatus erit, quod cum per peccatum  
quodammodo sit factus minor nihilo,  
beneficio passionis sit quasi recreatus.  
Plus enim est benè reficere rem aliquam,  
quàm facere.

2. Quia Deus maiorem amorem erga  
hominem demonstrauit eum redimen-  
do, quàm creando: nam antequam eum  
crearet, nihil fecerat, vnde mereretur non

B. 5. *creari.*



creari ( sed postquam creatus peccauit, meruit suum primum esse perdere ) Quare infinita fuit pietas, bonitas, benignitas & charitas Dei erga hominem, quod eum, qui dignus erat vt redigeretur in nihilum, morte proprii filij restituit & restaurauit.

3. Quia ad hoc dedit nobis Christum Deum & hominem: Vnde quo præstantior est omnibus creaturis, hac ratione Christi magis Deo obligati sumus, quâ ratione omnium creaturarum.

4. Quia Deus hominem liberauit infinitis malis, cum filium suum vnigenitum voluit demergi in hanc abyssum tormentorum, pœnarum & malorum, & per mortem eius infinita bona comparauit. Quare homo infinito modo est obligatus Deo, ob causas sequentes.

1. Quia liberauit eum ab infinitis malis.

2. Quia ei comparauit infinita bona.

3. Quia medio incarnationis & passionis usus est.

4. Et multò magis ob amorem immensum, quo ad hoc faciendum est impulsus.

5. Propter desiderium, quo flagrauit etiam plura patiendi pro nobis. Hæc enim erat eius sitis.

6. Quia



DE PASS. DOMINI. 35

6. Quia in hoc Deus demonstravit, quantum maximum amorem potuit: Nam cum non posset pro suis peccatis satisfacere homo, si Deus non fieret homo; ipse pro homine voluit fieri homo, & potius mori pro homine, quam ut periret homo. O stuporem admirandum.

7. Quia homo seipsum & quicquid potest, debet offerre Deo, tum quia ab eo creatus, tum quia morte & passione Christi ab eo redemptus est. Verum cum nihil possit offerre, nisi adiuuante Christo, & quamuis se offerat millies Deo, parum det; idcirco ut habeat homo, quod possit pro omnibus diuinis beneficijs dare & retribuere Deo, Christus ipse, cum moriendo in cruce se tradidit patri, tradidit etiam se homini, ut ab homine posset cum meritis & amore suo infinito tanquam hostia pro peccato, & tanquam oblatio pro beneficijs Deo offerri. Et sic homo potest patri coelesti offerre infinitum precium meritorum Christi & ipsum Christum.

8. Quia beneficia creationis, conseruationis, & id genus alia omnia, nihil profuat, sine beneficio redemptionis. Quare quando quis in Sacramentis gratiam Dei accipit, dum facit, dicit vel cogitat aliquid boni, meminerit id totum morte & passione Christi esse comparatum.



PVNCTA QVAEDAM PRAE-  
cipue de passione Christi per-  
pendenda..

**P**rimum considerandi sunt acerbif-  
simi dolores, vt condoleamus ei ex  
corde.

2. Grauitas nostrorum peccatorum, vt  
ea magno odio prosequamur.
3. Magnitudo beneficij, vt magnam re-  
feramus gratiam.
4. Excellentia diuinę bonitatis, vt eam  
amemus ex corde.
5. Multitudo virtutum Christi, vt eas  
imitemur.
6. Conuenientia huius mysterij ad ad-  
mirandam diuinam sapientiam, & ad  
confirmandos nos in fide.

*De magnitudine dolorum.*

**S**ciendum est, vt habet S. Thomas,  
exceptis cruciatibus Purgatorij & in-  
ferni, dolores Christi fuisse omni-  
um, qui in hoc mundo aut tolerati sunt,  
aut vnquam tolerabuntur, maximos.

1. Ob magnitudinem Charitatis; quo  
enim erat ardentior, hoc maiorem in pa-  
tiendo creabat dolorem.

Quia



2. Quia fuerunt puri dolores, omnis consolationis expertes.
3. Ob teneritudinem corporis miraculosè compacti, quod multo perfectius, delicatius, & sensibilius erat omnibus hominum corporibus.
4. Ex præsentia & compassione matris, quæ augebat dolorem.
5. Ob genus mortis acerbissimæ, & ob circumstantias eiusdem; de quibus infra.
6. Quia passus est in corpore, fama, honore, facultatibus (vt cum staret nudus) & amicis, qui eum reliquerunt & negarunt.

*Passus est Christus in omnibus  
membris.*

**N**Am caput fuit coronatum spinis.  
Oculi cooperti lachrymis & sanguine.

Facies plena sputis.

Aures obrutæ iniurijs.

Lingua potata felle & aceto.

E sacra barba euulsi pili.

Manus transfixæ clavis.

Latus apertum lancea.

Humeri lacerati flagellis.

Pedes transfossi duris clavis.

B 7 To



Totum corpus vulneratum, distractum, dilaniatum.

2. Propter multitudinem calamitatum, quæ in ipsam passionem incurrerunt. Fuit enim captus, ligatus, accusatus, illusus, consputus, colaphizatus; flagellatus, spinis coronatus, percussus arundine, facie velatus, nudatus vestibibus, maledictis impetitus, cruce oneratus, ductus & reductus ab vno tribunali ad aliud, instar publici latronis. Tandem affixus cruci mortuus est.

• *Quid ex his doloribus discere debeamus.*

1. Quàm turpè & sceleratum sit peccatum, quandoquidem tanta ad illud expiandum passus est Christus. Quomodo autem poterat Deus maius signum odij sui in peccatum ostendere, quàm quod occidit proprium filium, vt occidat peccatum?
2. Quàm graves sint pœnæ inferni quandoquidem, vt liberaremur ab illis, Christus voluit subire infernum quendam dolorum & pœnarum.
3. Quantum sit beneficium gratiæ & gloriæ, cum tantum meritum necessarium fuerit ad eam obtinendam.

Di.



4. Dignitatem hominis, & animæ valorem, cum Deus tantum pretium exolverit pro illa.

5. Quàm bonus, pius & suavis sit Deus.

*IN PASSIONE CHRISTI  
maximè elucere Dei charitatem, bonitatem, misericordiam & iustitiam.*

**A**D bonitatem amicitiae pertinet, communicare & dare seipsum amico. Sed quæ maior bonitas reperitur, quàm Dei, qui factus est vnum, idemq; cum homine, & tanta passus est pro homine?

Ad amorem pertinet, benefacere amato: Sed quis amor maior esse potest, quàm Dei, qui ut hominem faceret omnium bonorum suorum participem mortuus est pro homine?

Ad misericordiam pertinet in se recipere aliorum miseras. Sed quàm maiorem miseriam potuit suscipere Christus, quàm moriendo cum tanto dolore & confusione pro nostris peccatis?

Ad iustitiam spectat punire peccata:



at quæ maior potuit esse punitio, quàm  
Dei, qui puniuit peccatum in proprio fi-  
lio?

*Meditationes passionis omni genere virtutum repleri.*

**Q**uis non fiat humilis, dum videt  
filium Dei postpositum Barnabæ & in medio latronum crucifi-  
xum?

Quis non sit patiens, dum videt inui-  
ctam patientiam Christi, tantas illusio-  
nes, tantas pœnas & cruciatus?

Quis non sit obediens, dum videt  
Christum obedire vsque ad mortem?

Quis velit frui delitijs, dum videt Chri-  
stum in tantis tormentis?

Quis non contemnet diuitias, aliasq;  
res mundi, dum videt Christum in cru-  
ce?

Quis non perseuerabit in bono, dum  
videt Christum perseuerantem in crucia-  
tibus & tormentis vsque ad mortem?

Quis non ignoscat inimicis, dum vi-  
det Christum ignoscere suis crucifixori-  
bus, qui illum spoliabant vestibus, fama,  
vita, & orare in super pro illis?

Agamus ergo immensas gratias Do-  
mino Deo pro tanto beneficio, & pro  
eo, quod in illo se nobis dedit, & pro eo,  
quod



DE PASS DOMINI. 41

quod tanto precio redemit, & multo plus pro eo, quod tantopere nos amavit. Plus enim amavit, quam toleravit, & si opus esset, plura toleraret. Serio ergo incumbamus crebræ meditationi Passionis, tollendo impedimenta eumque fructum colligendo ad Dei gloriam, quem debemus.

*De partibus meditationis.*

CAPVT VI.

Vatuor sunt partes meditationis.

**Q** Præparatio, Repræsentatio, Consideratio, & Oratio.

*Præparatio* est breuis eleuatio mentis ad Deum præsentem, qua inuocamus diuinum auxilium, ad bene orandum. Deinde cogita aliquantulum, quid fis acturus, rem videlicet huius mundi maximam. Accedis etiam ad orandum Deum propter infinitam eius Maiestatem & gloriam, ad agendas ei gratias propter opera eius admiranda creationis, redemptionis & iustificationis, ad orandum pro necessitatibus nostris & Ecclesiæ sanctæ. Quid hæc potest esse magis iustum, dignum & necessarium?

*Repræsentatio* non est aliud, quam sic imaginari mysterium, ac si videremus  
tunc



tunc rem fieri, ponendo ob oculos locum, personas & actiones ipsas, videlicet in crucifixione ponendo ob oculos montem Caluarie, crucem, crucifixum vndique sanguine perfusum, infinitam hominum turbam circumstantem.

Consideratio est ipsa Meditatio, quae est operatio quaedam intellectus, qua ratiocinamur de mysterio proposito, perpendendo circumstantias eius: & expendendo, quis sit qui patitur, qua de causa, pro quibus, quomodo, conferendo quoque vnam circumstantiam cum alia, & exprimendo affectus conuenientes mysterio vel amoris, vel doloris plenos.

Oratio sequitur in fine meditationis, in qua homo interius iam inflammatus loquitur cum Deo, aut cum crucifixo, atque si ibi eum haberet praesentem, laudando illum, gratias agendo, adorando, patefaciendo proprios defectus, & necessitates, orando vt eis condonet, petendo gratiam, dona & virtutes necessarias cum obsecrationibus. Obsecratio autem non est aliud, quam orare Deum per res sacras, vt per vulnera, propter Beatam Virginem, propter sanctos, per passionem suam, merita & id genus  
alia



alia, quæ magnam vim habent ad impetrandum quod petimus.

*Quid in quoq; mysterio passionis considerandum sit, maximè admirabile & compassione dignissimum.*

In omnibus passionis mysterijs hæc quatuor debent considerari.

1. Quis patiatur, nempe filius Dei, æqualis Patri, quo nihil potest excogitari aut maius, aut melius, aut excellentius.
2. Quid patiatur, nempe cruciatus ad eò acerbos, plenosque dedecoris, ut attonitos reddant, qui eos considerant.
3. Pro quo passus sit, nempe pro me vili & ingrata creatura, qua nihil vilius & ingratius esse potest sub cælo.
4. Quare passus sit, non quia ipse opus haberet, nec quia in me aliquod bonum præuiderit, sed ex solo amore, ex sola pietate, ex sola misericordia sua.

Valdè quoq; vtile est cōsiderare, Christum, cum perferret illas pœnas pro nobis, de quibus meditamur, dulcissimam habuisse memoriam nostri, & cōpassum fuisse



fuisse nobis pro quibus patri æterno passionem suam offerebat,

Quare conuenit, vt nos quoque resq; nostras corde humili & affectu pio offeramus diuinæ eius maiestati.

*Meditatio de mysterio prima agonie  
in horto.*

1. Considera quantus fuerit amor Christi erga nos, vt qui voluerit sudare sanguinem pro nobis, & tam amarum calicem bibere pro sanandis infirmitatibus nostris, vt nos vna cum ipso dulcissimū calicem biberemus in patria cœlesti.
2. Considera acerbiter poenarum, dolorum grauitatem, agoniam nunquā visam, nunquam auditam.
3. Magnam humilitatem & reuerentiam, qua precatus est patrem cœlestem, ostendendo illi suum sanguinem & acerbum illud ac triste spectaculum, quale nunquam visum est in toto mundo, nec vnquam videbitur.
4. Modum orandi & perfectissimam eius resignationem in manus patris; nec enim aliud volebat, quàm vt in se purissima & simplicissima Dei voluntas perficeretur.
5. Perseuerantiam in orando eodem



DE PASS. DOMINI. 45

modo, & quod eo prolixius orabat, quò  
maiores patiebatur agoniam. Vnde &  
confortatus est ab angelo, & exauditus à  
patre animosè obuiam processit suis ini-  
micis.

*Sequuntur quinque puncta ad habendam  
nostri confusionem.*

1. Quod ne vnam quidem guttulam  
sanguinis pro amore Dei effuderimus,  
& ne minimæ quidem tentationi restite-  
rimus.
2. Quod tam longè absimus à deside-  
rio patiendi pro Christo, tam prompti  
ad liberandum animam à pœnis etiam  
maximis.
3. Quod tam paruam curam habea-  
mus salutis nostræ, cùm tantam habue-  
rit Christus Dominus noster.
4. Quod simus tam pigri in recurren-  
do ad Deum in tribulationibus, tam pu-  
sillanimes, tam resignati in voluntate  
Dei.
5. Quod in oratione tam simus impa-  
tientes, & ob minimam rem distraha-  
mur, fastidiamus, & tandem deficia-  
mus.

*Pe-*



*Petitio quæ poterit fieri ad  
Deum.*

**C**onsideratis supradietis punctis, & gratijs Deo ob tantum amorem actis, poteris petere gratiam semper recurrendi in tribulationibus ad eius auxiliũ, vsurpando illum ipsum modum orandi, quo vsus est Christus.

ORATIO.

**D**omine Iesu Christe, oro te per do-  
lorem quem in horto sensisti, per  
sanguinem quem sudasti, per ora-  
tionem quam fecisti, & ante omnia per  
infinitum amorem, qui ad hoc te indu-  
xit (quæ omnia nunc offero patri cœle-  
sti) vt velit mihi largiri donum orandi, &  
ad te solum confugiendi in tribulationi-  
bus, in te solo sperandi & semper dicendi:  
Pater si possibile est transeat à me calix iste; non mea, sed tua sanctissima volun-  
tas fiat.

*Quid agendum sit post elapsam tempus  
meditationis.*

Postula veniam à Deo pro negligentia  
commissa in meditando, & dic semel,  
*Pater noster, & Ave Maria.*

*My-*



*Mysterium secundum de venditione Christi facta à proprio discipulo.*

**P**rimò orandus est Deus, vt gratiam det rectè meditandi de hoc mysterio.

2. Considerandæ sunt personæ, locus, factum.

3. Considera quatuor puncta à quo, quid, pro quibus, quare passus sit Christus, vt supra annotatum est.

*Puncta s meditationis.*

1. Considera venditum esse filium Dei. A quo? A discipulo suo, quem tot beneficijs affecerat, cui corpus suum in cibū & proprium sanguinem in potū paulò ante porrexerat. Vide quoq; quàm exiguo pretio eum vendiderit; cui vendiderit, nempe inimicis crudelissimis. Quo modo? cum osculo, amicitia signo. Quo tempore? In Paschate, quando tota provincia Iudææ Ierosolymam confluebat.
2. Ingentem Charitatem Christi, quam benignè amplexus est proditorem, & eum, quam de eius salute gerebat.

3. *Item,*



3. Promptitudinem, qua obuiam ibat suis inimicis.
4. Mansuetudinem, qua eos allocutus est, & iudam vocauit amicum.
5. Patientiam, qua permisit se ligari, percuti, & pessimè tractari à iudæis, & cogita quasi præsens esses.

*Confusio nostra.*

1. Quod studeamus non osculari, sed mordere potius, & aliquando durius tractare eos, à quibus læsi sumus.
2. Quod toties, etiam minori pretio, Christum prodiderimus.
3. Quod tam moleste suscipiamus tribulationes à Deo immissas.
4. Quod tam imperiosè & durè alloquamur proximum nostrum.
5. Quod tantam impatientiam demōstremus in nostris calamitatibus, quantumuis paruis, & tam parum nos assuefaciamus ad patiendum pro Christo, cū non ignoremus, quāta ipse passus sit pro nobis.

*PETITIO.*

**P**ete à Deo gratiam amplectendi omnes tribulationes, sicut ille amplexus est iudam (nempe vt amicum & non vt inimicum) & amplectendi eas



DE PASS. DOMINI. 49

vt bonas non vt malas , vt immiffas à  
Deo, & non ab hominibus.

ORATIO.

**D**omine Iesu Chrifte, per charita-  
tem quæ te permouit ad ample-  
ctendum tam benignè & tam  
suauiter osculantem Iudam proditorem,  
largire mihi gratiam, vt eadem prompti-  
tudine animi qualemcunq, crucem mihi  
immiffam amplectar, tanquam donum  
tuum, in vtilitatem meam ex suauiffimo  
tenerrimoque amore tuo mihi conces-  
sum, & vt semper bonum pro malo ijs,  
qui me offenderint, per nomen tuum  
sanctum reddere valeam. Amen. In fine  
idem fiat, quod in primo mysterio.

*Tertium mysterium.*

**Q**VOD toties fuerit ligatus & du-  
ctus per plateas vrbs Hierosoly-  
mitanæ instar latronis, in qua tan-  
ta fecerat miracula; nec vsquam legitur,  
tale quid simili alicui personæ accidisse.

Considera bene historiam totam, per  
sonas & quidquid ibi agitur, atque si  
præsens esses, & quid acturus fuisses, si  
postquam agnouisses eum esse filiū Dei,  
proprijs oculis aspexisses.

C

Con-



Considera similiter quatuor puncta, quis patitur, quid, pro quibus, quare, ut dictum est antè.

*Puncta 5. consideranda.*

1. Charitas immensa, quæ sola eum tenuit ligatum.
2. Dolor magnus, quem passus est, quando adeò strictè fuit ligatus.
3. Confusio summa, quòd duceretur tanquam latro, qui tanta miracula fecerat, & præcedenti Dominica tanto cum honore fuerat acceptus.
4. Inuicta patientia in tot opprobrijs.
5. Ingratitudo iudæorum, qui tot beneficia a Christo acceperant.

*Confusio nostra.*

1. Quòd meis peccatis strictius fuerit ligatus, quàm iudæorum.
2. Quòd non permittam me ligari à tanto amore ipsius, quo permisit se tam durè ligari pro me, imò facilius permittam me ligari ab amore mundi & vanitatibus eius.
3. Quòd toties puduerit me benefacere, contra quam promisi in sancto baptismo.
4. Quòd non possim amore ipsius perferre tribulationem etiam minimam

& ta-



DE PASS. DOMINI. 41

& tamen tantas perferam pro vanitate mundi.

s. Quod oblitus sum tanti beneficii & tam singularis charitatis erga me demonstratae.

PETITIO.

**P**ostula gratiam, ut semper diuinæ maiestati sis cōiunctus per sanctum amorem, per illos funes, pœnas, opprobria & incredibilem Christi charitatem.

Oratio.

**D**omine Iesu Christe oro te per duos funes, quibus ligatus fuisti, per pœnas quas tunc in sanctis brachijs tuis sustinuisti, per iniquum incursum, quem in te fecerunt, cum te apprehenderunt tanquam latronem, & ante omnia per ardentem amorem, qui solus te ligauit, largire mihi gratiam, ut similiter colligatus sim cum tua Maiestate, per sanctam & feruentem charitatem, sic ut res nulla me possit à te separare: Vnde & dicere possim cum S Paulo Apostolo: *Quis me separabit à charitate Christi? Tribulatio, an angustia, an*

C 2 sa.



fames, an nuditas, an periculum, an persecutio, an gladius? Certus sum enim, quia neq; mors, neq; vita, neq; angeli, neq; principatus, neq; virtutes, neq; instantia, neq; fortitudo, neq; altitudo, neq; profundum, neq; creatura alia poterit nos separare à charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino nostro.

*Mysterium quartum.*

**F**lagella, quæ passus est Christus in columna, & fuerunt innumera, ac cerba, crudelia & hominum infamiam propria. Dicitur enim quod accepit Iesus sexies mille, sexcentos sexaginta, cum tamen secundum legem non poterint ei infligere ultra quadraginta. Nec immanitate tanta excepti sunt duo latrones. Imò nusquam lægimus vel à gente maximè barbara vni homini etiam sceleratissimo tot esse inflicta vulnera.

*Puncta consideranda.*

1. Considera hîc, quasi Christum ipsum videres dolore & confusione plenum, ad te dicentem: Hæc amore tui libenter patior.

2.

3.



DE PASS. DOMINI. 79

2. Et rursus quasi dicat, Vide quo me pertraxerit tua vanitas, tua peccata, tuæ superbiæ.
3. Considera amorem, qui solus fortè eum alligatum tenuit columnæ.
4. Confusionem, quam patiebatur; & cruciatus, quos sentiebat, inflictos à gente infami.
5. Magnam patientiam & mansuetudinem Christi & crudelitatem illorum carnificum.

*Confusio.*

1. Quòd tantum amorem parum contempsemus.
2. Quod tam parum de hoc doleamus; de rebus autem minimis mundi huius doleamus subito.
3. Quòd tam sensuales simus, cum solæ nostræ sensualitates & mundanæ voluptates eum alligauerint & flagellaauerint.
4. Quòd pudeat nos loqui de Deo, & benefacere, cum non puduerit Christum & ligari, & nudum atrocissimè cædi in columna.
5. Quòd toties peccatis nostris flagella uerimus eum, qui nunc gloriosus regnat in caelo, tamq; parui eum faciamus.

C 3

eti.



## PETITIO.

**P**ete gratiam, vt omnes tribulationes & flagella de manu Dei suscipias, & in ijs sustinendis sis fortis, sicut CHRISTVS benedictus alligatus columnæ.

## ORATIO.

**D**omine Iesu Christe oro te per tua crudelissima flagella, per acerbissimos dolores, per pretiosum sanguinem, quem tam copiosè tunc profudisti, & ante omnia per ardentissimum amorem, qui te ad hæc toleranda permouit, vt velis mihi largiri gratiam, vt omnes tribulationes tanquam de sanctis manibus tuis suscipiam, & cum ea fortitudine animi eas perseram, qua tot, tamque acerba flagella sustinuisti, ad laudem & gloriam nominis tui in sæcula sæculorum. Amen.

*Quartum Mysterium.*

**D**E Inuentione Coronæ, pœna grauissima, quæ simul & magno dolore & magno dedecore eum afficie-



DE PASS. DOMINI. 35

ciebat, qualem ne proprius quidem dæmon excogitare potuisset.

Nec legimus vsquam tantam crudelitatem fuisse vsurpatam.

Cogita te esse præsentem coronationi, & considera quatuor puncta subiecta.

*Puncta consideranda.*

1. Considera maximum Christi dolorem, quem tunc sensit.
2. Quantus fuerit eius amor ad hunc dolorem sustinendum impellens.
3. Quòd magnam senserit confusio- nem, cum res fuerit valdè ignominiosa, vt dictum est.
4. Quòd id factū sit ab ijs, quos tantis beneficijs affecerat.
5. Quanta humilitate, patientia, mansuetudine, modestia, & gaudio hæc omnia amore nostri tolerauerit.

*Confusio.*

1. Quòd superbia nostra eum corona- uerit, & sæpe adhuc coronet spinis.
2. Quòd ne verbum quidem vnum contra honorem nostrum ferre possi- mus, cum tot feramus contra honorem Dei.
3. Quòd tam parum memores simus

C + tan.



tantæ charitatis, & tam ingrati.

4. Quòd tam longè absumus à desiderio patiendi pro Christo.

5. Quod propter res etiam minimas tā sumus impatientes, tam iracundi, tam arrogantes.

PETITIO.

**P**ostula ardens desiderium patiendi pro Christo; abhorrendi ab omni superbia & vanitate, habendi pro spinis omnes voluptates mundi, & nolendi vt sub capite spinoso inueniatur membra delicata,

ORATIO.

**D**omine Iesu Christe per coronam pineam, per dolores tuos & contumelias, & p<sup>r</sup>o dulcissimum amorem supplico, & peto ardentissimum desiderium multum pro te patiendi, & renunciandi omnibus vanis & sensualibus voluptatibus; vt non feram caput tuum esse spinosum, & mea membra esse delicata, tu iridearis & ego honorer, tu fleas & ego immoderatè rideam. Concede mihi vt semper ob oculos habeam



beam coronam tuam spineam, dolores  
& cruciatus tuos, & ante omnia fructuo-  
sissimam tuam charitatem, qua pro me  
peccatore tanta pertulisti; vt te semper ha-  
beam in corde meo, teque benedicam in  
sæcula sæculorum. Amen.

*Mysterium sextum.*

Tot genera calumniarum, iniuriarum  
& verborum, eodem tempore quæ Chri-  
stus illis sustinuit.

1. Tot sputa foetida in benedictam fa-  
ciem iniecta.
2. Tot alapæ datæ ab hominibus tam  
vilibus, miseris & infamibus.
3. Tot genera vestium quibus fuit in-  
dutus, nunc albæ, nunc rubræ, ac si fuis-  
set stultus.
4. Velatio faciei & colaphizatio, di-  
cendo, Prophetiza, quis est qui te per-  
cussit?
5. Vestis purpurea & arundo in manu,  
qua sanctissimum caput eius fuit per-  
cussum; irridendo illum, & vocando Re-  
gem.
6. Tot testimonia falsa in eum dicta.
7. Quod toties proclamatus sit per  
omnes vrbs plateas seductor, in qua



paulò antè cum tanto honore erat receptus.

8. Quòd tot modis fuerit irrisus à magnis & paruis, dicitibus & pauperibus, sacerdotibus & sæcularibus, atque etiam ab illis, quos paulò antè multis beneficijs affecerat. Et hic certè conuenit benè considerare, quis patiatur, quid, quare, pro quibus, vt suprà dictum.

*Puncta consideranda.*

1. Obstupesce, quòd vno eodemque tēpore Iudæi tot excogitarint genera pœnarum, contumeliarum, opprobriorum, iniuriarum.
2. Plus obstupesce de amore Christi, qui plura pœnarum genera paratus fuit perpeti, quàm illi excogitauerint.
3. Admirabile silentium, quo vsus est inter tot opprobria.
4. Inuictissimam vide patientiam, māsuetudinem, stupendam & incredibilem animi fortitudinem, quam habuit.
5. Quòd illi certauerint cum malitia & nequitia, ipse verò cum bonitate & pietate.



CONFESSIO.

1. O quot nos Christiani nunc excogitamus genera pœnarum contra ipsum?
2. Quod socij simus Iudæorum contra Christum, pro quibus passus est.
3. Quod tam faciliè sentiamus, si vel minimum quid perferendum sit.
4. Quod nos vermiculi nolimus ab alijs vel vnum diciverbulum, quod nobis displiceat, nec moueri nobis vnum capillulum; cum tam multa dicta sint contra Christum.
5. Quod tam longè distemus à vita & moribus Christi, cum tamen velit nos esse sui imitatores.

PETITIO.

**P**ETE gratiam nihili faciendi Iudicij huius mundi, & omnia genera iniuriarum tolerandi, etiam vt stultus haberi cupias ob amorem Christi: quandoquidem ipse ob amorem nostrum non dedignatus est haberi stultus & infamis.

CC

ORA



*Oratio.*

**D**omine Iesu Christe oro te per omnes iniurias, quæ tibi vno eodemque tempore sunt illatæ, per contumelias & cruciatus, quos passus es, & per ardentem amorem tuum, vt mihi largiri digneris gratiam, vt similes iniurias amore tui patiar, & pro singulari favore habeam, si stultus habear, ac cognoscam veram Christiani hominis sapientiam esse in faciendis bonis, & perferendis malis, & vt stultus pro te mi Domine æstimer.

*Mysterium septimum.*

**Q**uod Christus deterior & vilior habitus sit ipso Barraba, homine seditioso, homicida publico, infami & nebulone: & quod indignior vita habitus sit, quàm latro manifestus. Quæ iniuria fuit vna de maximis, qua Iudæi Christum Dominum affecterunt.

*End.*



*Puncta consideranda.*

1. Obstupesce, quomodo Iudæi tam parui fecerint Christum alioquin vita sanctissimum, doctrina diuinum, & miraculis admirandum, & qui omni tempore singularibus omnes affecerat beneficijs.
2. Obstupesce, ob incredibilem Christi humilitatem, qui permisit se comparari cum Barraba, eidemque postponi.
3. Obstupesce, ob confusionem eius publicam, stat enim nudus, sanguinolentus, vulneratus, in populi quoque conspectum protractus.
4. Obstupesce, ob inconstantiam populi clamantis, crucifige, crucifige, cum Dominica præcedenti clamauerit: Benedictus qui uenit in nomine Domini.
5. Obstupesce, ob iniquum mundi iudicium, qui reum anteposit innocentem.

## CONFESSIO.

1. Quoties amorē mundi, qui est Barabæ, anteposuerimus amorī Dei, hoc est voluntatem nostram diuinæ?

C. 71

Quod.



2. Quod tantopere indignemur, quādo non comparamur personis honoratis & præstantibus.
3. Quod pudeat nos facere benè propter alios, & propter infœlicem hunc mundum.
4. Quod tam facilè offendamur in rebus leuissimis.
5. Quod tanti faciamus huius mundi iudicium, Dei autem iudicium contemnamus, in rebus quoque nostris potius spectemus, quid dicturus sit mundus, quam quid dicturus sit Deus.

## PETITIO.

**P**ro te gratiam nihili faciendi iudicium mundi: quandoquidem ipse mundus tam ineptus est, vt Barrabam anteposuerit Christo.

## ORATIO.

**D**omine Iesu Christe, si tu, cum es es Deus verus de Deo vero, consubstantialis patri, per quem omnia creata sunt, passus es te comparari cum Barraba latrone & homicida, eidem que postponi, quare ego, qui sum terra & pulvis & indignus (propter peccata mea)



DE PASS. DOMINI. 63

mea) vt viuam diutius, cur me non post-  
ponā omnibus creaturis? Et cur ego non  
contemnam iudicium mundi, aded stul-  
tum & insipiens, quod dicit malum esse  
bonum, amarum esse dulce, & æternam  
sapientiam postponit ipsi stultitiæ? Age  
ergo dulcissime Iesu, libera me quæso  
per immensam tuam charitatem à tanta  
cæcitate, quæ te ad res tam indignas per-  
ferēdas commouit, vt perpetuò laudem  
& extollam patientiam & bonitatem tu-  
am, qui es benedictus in sæcula sæculo-  
rum. Amen.

*Mysterium octauum.*

**Q**uomodo Iudæi Christo iam fati-  
gato, & fracto, grauissimam cru-  
cem portandam imposuerint; ve-  
nempe cor eius prius dolore mortis per-  
cuteretur, quàm ipse moreretur. O cru-  
delitatem nusquam lectam, nunquam  
auditam, nec excogitam.

*Puncta consideranda.*

1. Compatere Christo, qui tum cum  
maxima illi quiete opus esset, cogitur a-  
cerbum onus illud suscipere.
2. Considera promptitudinem eius in  
suscipienda & ferenda cruce.
3. Humilitatem maximam.

Cha-



4. Charitatem plenam patientiæ, & patientiam plenam charitatis.
5. Crudelitatem Iudæorum in eum, qui eiusdem erat cum ipsis nationis, & eum qui decus erat & ornamentum totius patriæ.

## CONFESSIO.

1. Quòd nos tantoperè abhorreamus ab omni cruce.
2. Quòd tam facilè murmuremus in tribulationibus.
3. Quòd simus adeò superbi, ac si Deus nobis esset obligatus, nec omne malum meruissemus.
4. Quòd cum sciamus crucem esse viam ad cælum, tam parùm de ea cogitemus.
5. Quòd simus tam crudeles nobis ipsis, & tam dissimiles Christo & Sanctis.

## PETITIO.

**P**ostula gratiam ferendi crucem, quã ille pro suo amore nobis imponet, & lumen gratiæ eius cognoscendi, quàm honorificum sit pro sancto eius nomine aliquid pati.

ORA.



## O R A T I O.

**D**omine Iesu Christe, dum perpen-  
do, quanta animi promptitudine  
contumeliosam illam crucem hu-  
meris tuis propter me imposuisti, & gra-  
uissimis doloribus corpus tuum excru-  
ciasti, confundor prorsus, & plurimum  
erubesco, cum videam me amore tui vix  
perferre posse morsum vnius pulicis.

Vincat ergo pietas tuamiseriam meam,  
& gratiam mihi dona, vt in posterum  
ambiam multa pro te pati, & vt hæc sit  
gloria mea, ac dicere possim cum Apo-  
stolo: *Ab sit mihi gloriari nisi in cruce Do-  
mini nostri Iesu Christi, per quem mihi  
mundus crucifixus est, & ego mundo.*

*Mysterium nonum.*

**C**Rudele genus mortis, nempe in  
Cruce. Nec enim tam citò mortu-  
us est, ac alij, qui capite, suspen-  
dio, vel alijs modis mulctantur. Vulnera  
quoque pondere corporis longè amplio-  
ra facta sunt in cruce. Ad hæc vulnera il-  
la erant in membris maximè sensibili-  
bus, vt in manibus & pedibus, qui abun-  
dant venis & neruis. Vnde cum nullum  
le-



lethale vulnus haberet, sola vi acerbissimorum dolorum sanctissimā animam Deo reddidit. Quare & Pilatus valdè miratus est, cū intellexisset eum tam citò mortuum, vt est in Euangelio. Considera benè quatuor puncta supradicta, nempe à quibus, quid, quare & pro quibus hæc passus sit.

*Puncta consideranda.*

1. Dolores quos in cruce sensit omniū quos sentire potuit maximi
2. Ignominia extrema, cū videret se pendere nudum in medio latronum, in loco infami, in præsentia tot hominum.
3. Quod non clauis, nec quicquā aliud, sed sola charitas erga genus humanum retinuerit eum in cruce.
4. Quod interim, dum illi tollebant ei vestes, vitam, famam, pro illis Deum orabat.
5. Quod omni consolatione destitutus, totus omninò immersus fuerit doloribus.

CONFUSIO.

Quod tam alieni simus à patiēdo pro



DE PASS. DOMINI. 69

pro Christo, qui tāta passus est pro nobis.

2. Quod non fidamus commendare vitam nostram in manus eius, qui tam alacriter vitam suam dedit pro nobis.

3. Quod simus tam cupidi opum & honorum huius mundi, quos tantopere contempsit Christus.

4. Quod tantopere timeamus mori, cum sciamus & Christum mortuum esse, qui est via & porta ad cœlum.

5. Quod amorī Christi, qui propter nos nec opum, nec honorum, nec vitæ suæ ullam rationem habuit, non aliqua ex parte respondeamus.

PETITIO.

**P**ete gratiam perseverandi in Cruce usq; ad mortē, & semper habendi memoriā passionis Christi crucifixi.

ORATIO.

**D**A mihi gratiam clemētissime Domine, ut ex animo desiderem pro tuo amore usq; ad mortem perstare in cruce, quam mihi concesseris, ut in ea reddam spiritum meum, ac ut semper cordi insculptum habeam crucifixum, per sanguinem, quem in cruce sparsisti,  
per



per dolores, quos sensisti, & per amorem qui te ad hoc induxit; & dum sum particeps tuarum poenarum, fiam quoque particeps æternorum gaudiorum. Amen.

*Mysterium decimum.*

**Q**uod in medijs existens crucis doloris, ut antoperè fuerit irrisus & contemptus, nunc dicendo: *Si filius Dei est, descendat de cruce*, nunc exprobrando, quod saluasset alios, & non posset saluare semetipsum, nunc clamando: *Ut tribus diebus ædificaret templum.*

Considera hic quatuor puncta, à quibus, quid, pro quibus, & quare sit passus, ut supra.

*Puncta consideranda.*

1. Considera Christum habitum infamem, passum mortem infamem, in loco infami, à personis infamibus, & verbis infamibus.
2. Patientiam, humilitatem, amorem, contemptum mundi.
3. Charitatem in orando patrem pro crucifixoribus, ut non solum non præcipita-



pitaret eos in infernum, sed etiam vt eis ignosceret.

4. Crudelitatem Iudæorum, qui si vel canem ita tractari vidissent, compassionem aliquam habuissent.

5. Admirationem & stuporem angelorum; qui hæc videbant, & quid fecissemus nos, si ibi fuissemus præsentem, & sciuissemus ipsum esse verè filium Dei.

CONFVSIO.

1. Quod Christus, qui erat gloriosus, voluerit haberi infamis, & tractari vt infamis; nos verò qui reuera infames sumus propter peccata nostra, & ingratitude, volumus esse honorati.

2. Quod cum nobis verbo vno contradicitur, statim veniamus ad conuitia, contentiones, bellum.

3. Quod minimam iniuriam illatam grauissimè vindicemus.

4. Quod tam paruam compassionem habeamus eorum, quæ passus est Christus, & tantam velimus haberi compassionem in tribulationibus nostris.

5. Quod nonnulli Christiani nunc blasphemant Christum, non aliter, quàm illo tempore faciebant

Iudæi.

PE-



## PETITIO.

**P**ete gratiam nihili faciēdi quodcun-  
que verbum contumeliosum, in-  
fame & ignominiosum, vt simus  
veri imitatores Christi.

## ORATIO.

**O**Anima, cur non obstupescis? cur  
non confunderis? cur non erube-  
scis? vides Dominum tuum, spō-  
sum tuum, amatorem tuum tam affli-  
ctum in cruce, & tu vis frui delicijs? Ille  
nudus est, & tu vis vanissimè vestiri? ille  
orat pro ijs, qui auferunt eius vestes, fa-  
mam, vitam, & tu tam alienus es ab his  
omnibus? O charitatem inauditam. Ob-  
secro Domine per hanc tuam admiran-  
dam charitatem, infunde nouum spiri-  
tum in animā meam, innoua spiritum te-  
ctum in visceribus meis, vt semper te ha-  
beam cordi meo insculptum, tecum sem-  
per sim in cruce, semper orem pro ijs, qui  
mihi malè dicunt aut faciunt, vt sicut fi-  
lius tuus, imitando te in terra, te vi-  
deam postea cum gaudio  
in cœlo. Amen.

*My.*



*Mysterium undecimum:*

**D**E dolore, quem concipiebat ex  
onspectu Matris & dolorum, qui  
bus sanctam animam illam scie-  
bat esse plenissimam.

*Puncta consideranda.*

1. Considera, quàm fuerit obruta do-  
loribus. B. Virgo, cum videret tam crude-  
liter tractari filium suum, & quem filium?  
à quibus? quare?
2. Patientiam eius, dum nihil vel face-  
ret, vel diceret in tanta crudelitate, quam  
in dilectissimum filium eius exercebant,  
quod non deceret prudentissimam foe-  
minam.
3. Conformitatem voluntatis eius cum  
voluntate diuina, per quam facta est sca-  
la, vt dicit S. Catharina Senensis, qua Chri-  
stus ascendit in crucem ad redimendum  
mundum.
4. Modos agendi Dei, tam dissimiles  
modis agendi huius mundi, qui permit-  
tit tanta pati eos, quos habet chariores, vt  
filium, matrem, aliosq; amicos.
5. Quod affectus maternus non retra-  
xerit Christum à crucifixione, ne mor-  
talia



filialis matris, vt pro nobis non moreretur in cruce.

CONFESSIO.

1. Quod simus tantoperè addicti filijs & parentibus, nec eos diligamus, vt res Dei, quæ sunt in potestate diuina.
2. Quod simus tam anxij & impatientes, quando malè habent, ne eos Deus tollat è viujs.
3. Quod tantopere abhorreamus omnia suscipere de manu Dei, & conformare nos diuinæ voluntati.
4. Quod tam facilè adhæreamus rebus huius mundi, & tam difficilè rebus diuinis.
5. Quod simus tam rudes & hebetes in cognoscendo modo agendi Dei, & tam acuti in cognoscendis modis huius mundi.

PETITIO.

**P**Ete gratiam, vt quemadmodū nec amor charissimæ matris, nec multæ pœnæ & contumeliæ inimicorum eum fecerunt descēdere de cruce, sic nec amor vllius creaturæ, nec auersio ab eadem ne faciat discedere à Dei seruitio, & re-



& relinquere opus ex eius amore inchoatum.

## O R A T I O.

**S**i tu Domine mi dulcissime, nudus  
in cruce pendens afflictus, & dolori-  
bus oppressus, nec propter amorem  
charissimæ tuæ matris, nec propter con-  
tumelias tuorum inimicorum, voluisti  
descendere ex acerbissima tua cruce, qua  
re ego tibi seruiendo, qui es Rex Re-  
gum, cui seruire regnare est, vel in mini-  
mo officio meo deesse audeam, cur abij-  
ciam seruitium tam honorificum, ple-  
num pacis, plenum voluptatis, plenum  
consolationis, propter parentes, inimico-  
rum conuitia, & sermones impiæ multi-  
tudinis? cur desistam esse totus tuus,  
cùm tu sis totus meus? cur non impen-  
dam totam vitam pro Maiestate tua, cùm  
totum impenderis pro humilitate mea?  
Si tu loco magni beneficij habuisti, vt a-  
more mei tantam patereris infamiam,  
cruciatu & mortem durissimam; cur e-  
go loco summi honoris non habeam, si  
causa tua deridear, infamer, malè tra-  
cter? Quare da mihi quæso Iesu per inti-  
mum tuum amorem gratiam tuam, vt  
corde sincero & pure te solum diligam,

D te



74      A N D R O T I I  
te solum laudem, tibi soli vsque ad  
mortem seruiam, vt tunc læto & sereno  
vultu ad te perueniam, & affectu amo-  
ris pleno dicere possim: *In manus tuas  
Domine commendo Spiritum meum. A-*  
*men.*

*Mysterium duodecimum.*

**D**E felle ei porrecto in medijs dolo-  
ribus, & cruciatibus, & sum-  
ma siti.

*Puncta consideranda.*

1. Considera crudelitatem Iudæorum,  
qui Christo in summis existenti tormē-  
tis & iam exangui & moribundo hau-  
stum aquæ petitiæ negârunt.
2. Quod loco aquæ ponigant fel & a-  
ectum. Res sanè quam nec Abraham  
diuiti Epuloni in inferno ardenti fece-  
rat.
3. Desiderium patiendi in Christo ma-  
ximum: nam ex omnibus membris so-  
la lingua restabat à poena immunis.  
Hanc ergo voluit doloris sui esse parti-  
cipem.
4. Considera admirandam Christi pa-  
tientiam in hoc casu.

*s. Ante*



5. Ante omnia considera immensam  
charitatem, quam in eadem re demon-  
strabat.

CONFUSIO.

1. Quod cum Christus tantam habu-  
erit sitim salutis nostræ, nos minimam  
habeamus, nec studeamus eam sitim cõ-  
parare, conuertendo nos serio.
2. Quod cum tantoperè sitiuerit & de-  
siderarit habitare in anima nostra maxi-  
mè per Sacramentum Eucharistiæ, pau-  
ci tamen eius desiderio satisfaciant.
3. Quod Dominus omnium, se ad tã-  
tam inopiam demiserit, vt nec haustum  
aquæ habere potuerit, & nos volumus  
abundare omnibus rebus necessarijs.
4. Quod Christus finem semper con-  
stituerit in passione, nos autem consti-  
tuamus eum in voluptatibus & deli-  
cijs.
5. Quod tam exiguum in nobis de-  
siderium sit iuuandi proximum no-  
strum, & tam parui faciamus scan-  
dalizare eum, pro quo Chri-  
stus siti mortuus est.





## PETITIO.

**P**ete gratiam à Deo, nunquam amplius reddendi ei fel pro melle, hoc est, mala pro tantis bonis & beneficijs, quibus omni hora nos afficit, idque per amarissimam amaritudinem, quam in cruce pertulit, & per amorosissimum amorem, qui eum impulit ad sumendū potum tam amarum & acerbum.

## ORATIO.

**O**quoties Domine Iesu Christe, tibi porrexi amarum fel pro dulcissimo melle, quo me continenter eibasti? Quot scelera admisi pro tot donis? Quanta mala pro tantis beneficijs? O quoties interim dum fruor beneficijs tuis, quibus certè semper & frui sum & nunc fruor (nihil enim habeo, quod tuum non sit) ipso vsu beneficiorum tuorum te offendi? O quoties accepto à te stipendio militavi sub Diabolo & mundo? Da mihi ergo dulcissime Iesu in posterum gratiam, vt reddam tibi vnam & non labruscam, bonum non malum, gratitudinem, non ingritudinem. & vt semper amaritudinem quandam sentiam.



DE PASS. DOMINI. 77

tiam, si aliud egero, dixerò, vel cogitaue-  
ro, quàm Maiestati tuæ conueniat. De-  
nique vt deinceps reddam tibi amorem  
pro amore, sanguinem pro sanguine, vi-  
tam pro vita, vt quemadmodum vita  
mea scandalizauit cœlum & terram, sic  
in posterum sancta & exemplari vita pro-  
ximum meum ædificem, diuinam Ma-  
iestatem laudem, benedicam, & semper  
glorificem. Amen.

COLLOQVIVM ANI-  
mæ cum Christo de Pas-  
sione.

**D**omine quare te vendi permisisti?  
*Vt te à seruitute liberarens.*  
Domine cur tantum orasti?  
*Vt placarem iram patris con-  
orare.*

Domine cur passus es timorē & pauorem?  
*Vt facerem te securum & animosum.*

Domine cur posita sunt tibi tot insidia?  
*Vt te liberarem ab omnibus insidijs.*

Quare sudasti sanguinem?  
*Vt eluerem maculas tuorum peccato-  
rum.*

Quare voluisti capi?  
*Ne tu ab inimicis tuis caperere.*

D 3      Qua-



Quare ligari?

Vt peccatorum tuorum vincula dissoluerem.

Quare fuisti negatus à Petro?

Vt confiterer te coram patre meo.

Cur voluisti deserere ab omnibus discipulis?

Vt tecum essem usq; ad diem iudicij.

Cur voluisti accusari?

Vt te absoluerem.

Cur voluisti sputis commaculari?

Vt sordes tuas abstergerem.

Cur voluisti flagellari?

Vt tu liberareris ab aeternis flagellis.

Cur voluisti exaltari in crucem?

Vt tu eleueris in coelum.

Cur voluisti coronari spinis?

Vt te coronarem in caelesti gloria.

Quare extendisti brachia?

Vt te amplecterer ô anima mea dilecta.

Quare Domine mi caput tuum inclinasti?

Vt te oscularer ô anima mea chara.

Quare voluisti aperiri pedus tuum?

Vt te in cor meum reciperem, anima mea.

Quare voluisti medius esse inter duos latrones?

Vt tu esses in medio angelorum in Paradiso, ô anima mea chara.

O cha-



**O** Charitatem immensam, ô amorem infinitum, ô dilectionem inauditâ, ô misericordiam stupendam, quod Deus fiat homo, æternus, temporalis, impassibilis, passibilis, immortalis, mortalis, gloriosus, ignominiosus, & propter quos quæso? pro me, pro me, pro me. ô stupor stupendus.

*Oratio de singulis articulis  
passionis.*

**D**eus qui pro redemptione mundi  
uisti nasci, circumcidi, à Iudæis reprobari, à Iudâ traditore osculo tradi, uinculis alligari, sicut agnus innocens ad victimam duci, atque conspectibus Annæ Caiphæ, Pilati, & Herodis indecenter offerri, falsis testibus accusari, flagellis & opprobrijs vexari, sputis conspui, spinis coronari, colaphis cædi, arundine percuti, facie velari, uelibus exui, cruci clavis affigi, in cruce leuari, inter latrones deputari, felle & aceto potari, & lancea vulnerari. Tu Domine per has sanctissimas pœnas tuas, quas ego indignus recolo, & per sanctam crucem & mortem tuam, libera me à pœnis inferni, & perducere digneris, quò perduxisti latronem tecum crucifixum, Qui cum Patre, &c.

*D*

*Alia*



*Alia oratio.*

**D**omine IESV CHRISTE in cuius di-  
uone cuncta sunt posita, & non est,  
qui possit resistere voluntati tuæ, qui di-  
gnatus est nasci, mori, & resurgere: per  
mysterium sacratissimum corporis tui,  
& per quinq; vulnera & effusionem pre-  
tiosissimi sanguinis tui miserere nobis,  
sicut tu seis necessarium esse animabus  
& corporibus nostris, libera nos à diaboli  
tentatione, & ab omnibus, quibus nos  
angustiatos esse cognoscis, nosq; in ser-  
uitio tuo vsque ad finem conserua & cor-  
roborâ, & veram emendationem, spaci-  
umq; veræ pœnitentiæ nobis tribue  
& remissionem omnium peccatorum  
post obitum: & fac nos fratres, sorores, a-  
micos & inimicos inuicem diligere, &  
cum omnibus sanctis tuis in re-  
gno tuo sine fine gau-  
dere: Qui cum  
Deo Patre,  
&c.

*Ad*



*Ad vulnera CHRISTI**Oratio.*

**R**Ogo te Domine Iesu per illa salutifera vulnera tua, quæ passus es in cruce pro salute nostra, è quibus emanauit ille pretiosus sanguis, quo sumus redempti, vulnera hanc animam meam peccatricem, pro qua etiam mori dignatus es. vulnera eam igneo & potentissimo telo tuæ nimæ charitatis. Confige cor meum iaculo tui amoris, vt dicat tibi anima mea, charitate tua vulnerata sum: ita vt ex ipso vulnere amoris tui vberimæ fluant lachrymæ die ac nocte. Percute Domine, Percute obsecro hanc durissimam mentem meam pia & valida cuspede dilectionis tuæ, & altius ad intima penetra potenti virtute.

*Qui viuus,**&c.*

FF




Petitiones deuotæ ad Dominum  
IESVM CHRISTVM EX  
S. August.

**D**omine Iesu, nouerim me, no-  
uerim te,  
Nec aliquid cupiam nisi te.  
Ut odiam me, & amem te.  
Quidquid agam propter te.  
Humiliem me, exaltem te,  
Nihil cogitem nisi te,  
Mortificem me, & uiuam in te,  
Quacumq; veniant accipiam à te,  
Persequar me, sequar te,  
Semper optem sequi te,  
Fugiam me, confugiam ad te,  
Dignus sim defendi à te,  
Timeam mihi, timeam te,  
Simq; de electis à te.  
Diffidam mihi, fidam in te,  
Obedire velim propter te.  
In nullo afficiar, nisi in te,  
Aspice me, ut diligam te.  
Voca me, ut videam te,  
Et in aeternum potiar te. Amen.

Lib. Coll. Soc. Lov. Paderborn. a. 1613.

FINIS.
































Th  
2836